



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Capvt III. De Legibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

CAPVT III.

De Legibus.

QVONIAM (dictum est cap. præc.) peccatum nihil aliud est quam legis transgressio, idcirco ad perfectam ipsius peccati notitiam requiritur etiam cognitio legis, unde dixit Apostolus Roman, 3. *Per se cognitio peccati.*

SECTIO I.

Quid nomine legis intelligatur, & quotuplex sit lex.

LEGIS nomen latè sumptum, regulam quamcunque siue normam agendorum significat: quo sensu Grammaticæ aliarumque artium regulæ, leges vocantur; & tyranni leges quamvis iniustas ferre dicuntur, iuxta illud Is. 10. *Va qui condunt leges iniquas.* Si verò propriè & strictè sumatur lex secundum mentem S. Doctoris q. 98. i. a. nihil est aliud quam recta regula seu mensura humanorum actuum, secundum quam vel ad bene agendum dirigimur, vel à malè agendo retrahimur.

Lex autem eo sensu intellecta diuiditur à S. Doctore q. 91. a. 1. & seq. in legem æternam, naturalem, & positivam: & hæc lex positiva subdividitur in legem positivam divinam, & legem positivam humanam: quæ quidem lex positiva humana rursus duplex est, Ecclesiastica scilicet, & Civilis: sicut etiam lex positiva divina alia est vetus, seu Mosaica, alia nova quæ lex Evangelica seu Christi vocatur, quoniam ab illo tanquam supremo legislatore in Evangelio lata est & promulgata. De lege æterna & naturali agendum nobis est in hac sectione, de positiva verò tum divina tum humana in sequentibus.

Lex

Lex æterna (ut docet S. Thom. q. 91 a. 1.) nihil est ali-
quàm ratio divinæ sapientiæ, quatenus omnium actio-
num & motuum directiva est: sicut enim in quolibet ar-
tificè præexistit ratio eorum quæ per artem fiunt; ita etiam
in quolibet gubernante præexistere debet ratio directiva
eorum quæ ab ijs, qui ejus gubernatione subduntur, præ-
surgenda vel omittenda sunt: Deus autem sicut per suam sa-
pientiam rerum omnium conditor est, sic est etiam guberna-
tor: unde sapientia illa, in quantum per eam cuncta
creata sunt, rationem habet exemplaris & idæ, in quan-
tum verò per eamdem cuncta diriguntur in finem debi-
tum, legis æternæ rationem obtinet.

Cùm verò hæc æterna lex Creaturas quascunq; secun-
dum modum illis convenientem dirigat, idcirco alimen-
tatione carentibus, aliter ratione præditis intimatur & im-
ponitur: illis quidem per executionem & (ut ita loqui-
mur) per impressionem ordinis ipsius qui ab æterna lege
emanat; istis verò per quandam veluti irradiationem di-
vinæ sapientiæ, quæ mentem rationalem illustrat, & in o-
perationibus suis dirigit, juxta illud Psalm. 4. *Signatum est*
super nos lumen vultus tui Domine: unde S. Augustinus
lib. arb. cap. 6. *Notionem legis æternæ quibuscunq; hominibus*
esse impressam.

Quanta autem sit vis & potestas illius æternæ legis
hinc patet, quòd omnes & quæcunq; creaturae
proflus excepta, illi omnimodè subdantur: & de illis
quæ ratione carent; constat ex Psalm. 148. *Ignis gram-*
inix, glacies, &c. quæ faciunt verbum eius: & Psalm. 118. *Ob-*
natione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.
Creaturis autem ratione præditis similiter constat: ve-
nim secundum rectam rationem agunt, & tunc æternæ
legis ductum sequuntur: vel à recta ratione aberrant, & tunc
quantum deficiunt à lege æterna ex parte actionis, (ut loquitur
S. Thom. q. 93. a. tantum suppletur ex parte passionis; prout
licet in tantum patiuntur quod lex æterna dicit de eis, in quan-
tum deficiunt facere quod ipsi legi æternæ convenit. Quo-
surrexerit dixit S. Augustinus libr. 1. conf. cap. 12. *In*

Domine & sic est ut pena sua sibi sit omni animus inordinatus.

Lex naturalis (ut docet idem Sanctus Thom. q. 91. 92.) est ipsummet naturale iudicium seu rationis dictamen, quo per lumen nobis à Deo tanquam authore naturæ inditum; & ab æterna eius lege derivatum, cognoscimus ea esse facienda, quæ recta & iusta sunt; & è contrà vitanda esse ea, quæ à iustitia & rectitudine deflectunt.

Ad pleniorè verò hujus legis naturalis notitiã observandum primò naturale illud iudicium, rationem legis habere, non prout à nobis est, sed quatenus est in nobis ex divinæ legis impressione: unde patet ratio, cur ejusmodi lex naturalis à Regio psalte *Psalm. 4. lumen divini cultus, id est divinæ sapientiæ, signatum est super nos*, quia scilicet vim omnem suam & lucem ab ipsius divinæ sapientiæ seu legis æternæ veluti radiis accipit.

Observandum secundò legem naturalem (ut docet Sanctus Thomas quaest. 94. a. 4. (unam & eandem esse apud omnes homines quoad prima & generalia principia, eam secundum notitiã, quàm secundum rectitudinem; id est, omnes homines eo ipso, quo ratione præditi sunt, generalia illa legis naturalis principia cognoscere, & tanquam iusta & recta approbare: verbi gratia bonum esse faciendum; malum fugiendum; rationi obtemperandum; &c. Quoad conclusiones verò, quæ ex illis deducuntur, sæpe contingit multos à recta ratione deficere propter pravam peccandi consuetudinem, & inde exortam intellectus obscuratorem; & sic ab ipsa lege naturali aberrare: unde videmus apud multas gentes olim idololatriam, & alia flagitia legi naturali contraria, approbata tamen & usque recepta fuisse, de quibus loquens Apostolus *Roman. 1. dicit quòd Obscuratum est insipiens cor eorum: &c. & mutaverunt gloriam incorruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentum &c.*

Obser-

Observandum tertio legem naturalem omnes homines obligare ab eo tempore, quo rationis usum accipiunt & per illam inter bonum & malum discernere incipiunt: hic enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatione: & eo sensu intelligenda sunt hæc Apostoli verba *Rom. 7. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venerit mandatum, peccatum revixit.* Ita enim verba illa explicat S. Basil. in Ps. 1. & S. Hier. Epist. ad Algasia[m] quaest. 1. ubi loquitur: *Cum mandatum venerit, hoc est tempus intelligendi appetentis bona & vitantis mala, tunc peccatum reviviscit, & homo reus esse peccati.*

Observandum quarto legem naturalem ita omnes homines obligare, ut in nullo casu ab illius servandæ obligatione possint eximi. Atque in primis certum est, exemptionem illam humana auctoritate dari non posse; cum ipsa lex naturalis ab æterna Dei lege derive[m]ur, vimq[ue] suam omnem accipiat, ut supra dictum est: unde Lactant. lib. 1. divi. inst. c. 8 *Huius, inquit, legi (naturaliter scilicet) nec derogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota derogari potest; nec vero aut per Senatum aut per populum hæc leges liberari possumus.*

Quod vero spectat ad auctoritatem divinam, licet quidam Theologi existiment per illam posse in lege naturali dispensari, probabilior tamen est eorum sententia, qui asserunt id sapientiæ divinæ omnino repugnare, proinde fieri non posse. Ita S. Thom. q. 100. a. 8. & ratio est, quia lex naturalis nihil est aliud (ut docet S. Aug. lib. 83. quaest. 1.) quam ipsius æternæ legis, atque adeo summæ & incommutabilis rationis ipsius divinæ sapientiæ in mentibus hominum transcriptio: atqui Deus (ut ait Apostolus 2. Tim. 2.) *seipsum negare non potest.*

Dices, Deum Exod. 12. Israëlitis præcepisse, ut res quas ab Ægyptiis mutuò acceptas in vitis illis retinebant ac secum auferrent; ac proinde in lege naturali, quæ statutum prohibet, dispensasse.

Resp. in illo casu Deum nihil contra legem naturalem præcepisse; illa enim prohibet injustam rei alienæ ablatio-

nem; res autem illæ ab Israëlitis ablatæ, eo ipso quo id ab illis (Deo iubente) fiebat, non erant amplius alienæ, sed ipsorum, Deo scilicet, ratione supremi dominii, quod in omnes creaturas obtinet, proprietatem & possessionem rerum illorum in Israëlitis transferente; sicque dicendum est Deum in præcepto legis naturalis non dispensasse, sed actionis illius quam imperavit, obiectum mutasse; & ea ratione licitam & honestam reddidisse.

SECTIO II.

Quis sit lex humana, & circa quam materiam versari possit.

Lex humana secundum doctrinam S. Thomæ q. 90. a. 4 nihil est aliud quam quædam rationis ordinatio ad commune bonum ab eo, qui communitati præest, promulgata cum intentione obligandi.

Dicitur primò (Rationis ordinatio) qua lex positiva fertur per modum imperii: at imperare (vt docet idem S. Thom.) q. 17. a. 1. est actus rationis, præsupposito tamen actu voluntatis.

Dicitur secundo (ad commune bonum,) quia ad rationem legis requiritur, vt non vni tantum aut alteri personæ, sed toti communitati imponatur: *lex enim* (ut habetur dist. 4. cap. 4.) *nullo privato commodo, sed pro communitate conscripta esse debet*: unde (vt ait idem S. Thom.) q. 90. a. 3. ad 3. paterfamilias potest quidem præcepta vel statuta facere, non verò leges condere.

Dicitur tertio legem humanam ferendam esse ab eo qui communitati præest, iuxta id quod dicit Apostolus Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo*: ex quibus verbis, sicut constat, subditos ad obedientiam superioribus præstandam obligari; sic etiam ex iisdem rectè colligitur penes ipsos superiores esse ferendarum legum potestatem.

Dicitur 4. legem humanam promulgari debere: *Tunc a-*
Q
dimo

enim (ut dicitur in Decret. cap. In istis dist. 4.) leges constituuntur, cum promulgantur. Quod confirmari potest ex cap. Ad hac, extra de postulatione Prælatorum; & ex cap. Cognoscetes, de constitutionibus. Cuius quidem conditionem rationem hanc affert S. Doctor q. 90. a. 4. quia lex imponitur per modum regulae & mensurae: regula autem & mensura imponitur per hoc, quod applicatur his quae regulantur & mensurantur: unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi habeat, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione.

Dicitur igitur legem ferendam esse cum intentione obligandi. Atque in primis quod communitatis superiores potestatem habeant sibi subditos obligandi, constat tum ex antè dictis, tum etiam Concilio Constan. Sess. ult. in qua opinio contraria quæ fuit VViclefi & Ioannis Hus tanquam hæretica damnata est. Quod verò etiam requiratur, ex parte Legislatoris intentio obligandi, inde inferitur, quod si lex non obligaret, lex dici non posset, sed potius consilium: lex enim à ligando dicta est, ut docet S. Thom. a. 1. & in eo præsertim à consilio differt, quod consilium liberam relinquat potestatem faciendi id quod consulitur; lex verò ad id, quod per se iam præscribitur exequendum obliget; unde Hier., lib. con. Iovin. Res, inquit, qua consulitur, est in arbitrio operantis; res qua præcipitur, in necessitate servientis.

Addit S. Thom. quæst. 95. art. 3. ex Isid. lib. 5. etymol. cap. 27. alias quasdam legis humanæ conditiones; scilicet ut sit iusta, honesta, possibilis, loco & tempore convenientis, pro communitatis utilitate scripta, &c. quæ ex istis dicendis plenius intelligentur.

Quod spectat ad materiam ipsius legis, certum est in primis humanam legem nullum posse præcipere alicui qui sit lege naturali vel positiua divina prohibitus; nullum item posse prohibere, qui sit hac vel illa lege præceptus; lex enim humana legi naturali contradicere non debet, nec prævalere potest, cum ipsa lex naturalis sit in-

penfabilis, ut ex antè dictis constat; & multo minus legi
 dicuntur; cum sicut princeps Apostolorum edixit Actor. 3.
Obediare oportet Deo magis quam hominibus: unde S. Aug.
 lib. 1. de lib. arb. cap. 6. dicit, *in ista temporali lege nihil esse
 iustum atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines
 derivaverint.*

Certum est deinde lege humana prohiberi posse actum
 externum quemcunque, lege divina vel naturali minimè
 præceptum: posse item præcipi actum externum quemcū-
 que hæc vel illa lege minimè prohibitum: unde Christus
 Dominus S. Matth. 23. *Omnia, inquit, quaecunque dixerint
 vobis, servate, & facite:* quod tamen sic intelligi debet,
 ut modo prohibitio illa vel præceptio sit honesta, iusta
 utilis bono communi utilis aliasque habeat condi-
 tiones supra relatas: potestas enim legislativa homini à Deo
 concessa est 2. Corinth. 10. *in adificationem et non destru-*
tionem.

Cum hæc duo certa sint, unum est de quo apud Theo-
 logos controuertitur; an scilicet lex humana possit quo-
 que actus internos præcipere vel prohibere. Quidam Do-
 ctores id simpliciter affirmant: alii probabilius cum S.
 Thoma q. 91. a. 4. negant, asseruntque nulla humana lege
 actum Ecclesiastica prohiberi posse vel præcipi actus purè
 internos, nisi quatenus exterioribus quibusdam actibus
 præceptis vel prohibitis necessariò coniunguntur. Ratio
 est quia (ut ibidem dicit S. Doctor) *de his potest homo legem
 ferre, de quibus potest iudicare: iudicium autem hominis esse
 non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exte-
 rioribus actibus qui apparent:* unde Innocentius III. c. 33. de
 Simonia versus finem, *Nobis, inquit, datum est de manifesta
 tantum modo iudicare.*

Diximus actus internos lege humana præcipi aut prohi-
 beri non posse, nisi quatenus exterioribus actibus neces-
 sariò coniunguntur, ita ut sine illis humana lex moraliter
 loquendo impleri non possit; tunc enim actus illi interni
 simul cū externis præcepti vel prohibiti esse censeantur: e.g.

Q 2

Eccle;

Ecclesiastica lex de officii divini recitatione à Clericis beneficatis, aut in majoribus ordinibus constitutis facienda, non tantum præcipit externam ipsius officii recitationem ore tenus factam, sed etiam internam mentis attentionem, ut habetur cap. *Dolentes*, extra, de celebra. Missarum, in quo Innocentius III. præcipit, ut officium divinum *studiosè & devotè à Clericis persolvatur*; quia, si attentio illa desit ex deliberata recitantis voluntate, oratio vocalis quæ lege illa præcipitur, jam non erit oratio; & sic non implebitur.

Quod si actus internus non sit absolute necessarius hoc, ut lex humana servetur, sed tantum ut perfectius melius servetur; tunc sub legem cadere non censetur, de S. Thom. 100. a. 9. dicit modum præcepti non cadere sub præceptum; e. g. quod quis jejunet in Quadragesima ex motivo temperantiæ vel pœnitentiæ; quod Missam diebus festis audiat ex motivo religionis vel obedientiæ; quocumque enim ex motivo humana lex impleatur, dummodo motivum illud sit honestum & bonum, lex ipsa sufficienter impleri censetur.

Porro circa materiam legis humanæ observandum est illam posse pro variis hominum temporumque conditionibus subinde mutari: unde S. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 18. *Lex temporalis, inquit, quamvis justa sit, commutari in temporibus justè potest.* & Innocentius III. in Concilio Lateranensi (ut refertur cap. *Non debet extra de consanguinit. & affinit.*) non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana; præsertim si argens necessitas vel evidens utilitas id exposcit.

SECTIO III.

Vtrum lex humana in conscientia obliget.

PROPOSITA quæstio tam de lege civili quàm de canonica seu Ecclesiastica intelligi debet: & quamvis

nam Theologi inter utramque illam legem distinguen-
 tum esse existiment, communis tamen & verior sententia
 est, quæ universim affirmat legem humanam, sive canoni-
 cam sive civilem, in conscientia obligare; Ita ut huic vel il-
 legi repugnando, peccati etiam mortalis reatus incurri
 possit. Ita S. Thom. q. 96, a. 4. Et de lege quidem civili pro-
 batur ex Apostolo Rom. 13. ubi loquens de Regibus, Du-
 cebus, & aliis Superioribus Laicis: *qui resistit potestati, Dei
 ordinationi resistit qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem
 merentur: & aliquibus interjectis concludit, ideo necessitate
 obedi estote, non solum propter iram, sed etiam propter con-
 scientiam* In quem locum S. Ambr. *Rectè, inquit, Apostolus
 ait subiectos esse debere, non solum propter iram, id est ultio-
 nis presentem, parit enim ira vindictam; sed & propter futu-
 rum iudicium, ubi accusante conscientia ipsa punien-*

Quod si superioribus Laicis etiam infidelibus, cum
 illa decernunt, obediendum est, juxta id quod docet A-
 postolus; longè potiori jure de Superioribus Ecclesiasticis
 idem dici debet; unde etiam Christus Dominus S. Matth.
 de illis loquens *Quacunque dixerint vobis, inquit, servate,
 & facite: & Apostolus Hebr. 13. Obedite, inquit, prepositis ve-
 stris, & subiacete eis, &c.*

Est autem hic observanda doctrina S. Thomæ cit. art. 4.
 ubi dicit leges humanas vim illam obligandi in foro con-
 scientiæ habere, non à se, sed à lege æterna à qua deriva-
 re: unde infert eatenus eas obligare quatenus ipsi le-
 gi æternæ conformes sunt; quod quidem ex triplici ca-
 pite dignoscendum esse docet: Primò ex fine ipsarum
 legum, quando scilicet ad bonum commune ordinantur:
 secundò ex illarum authore, quando Legislatoris pote-
 statem non excedunt: Tertiò ex earundem forma,
 quando secundum justam proportionem imponuntur
 subditis onera, in ordine ad bonum commune: & his tri-
 bus conditionibus concurrentibus dicit leges humanas
 obligare in foro conscientiæ. Econtrà verò, quando leges
 iniustæ sunt; v. g. quando ad utilitatem communem
 mini-

minimè pertinent; v.g. quando ad ab eo feruntur qui legem
 timam non habet auctoritatem, vel cum per illas oneremur
 multitudinis proportione debità minimè servata dispensentur;
 tales asserit non leges sed violentias dici debere nec proinde
 in foro conscientia obligare, nisi forte propter vitandum scandalum,
 vel turbationem aliquam, quatione quisque particularis juri suo
 cedere debet. tamen leges illæ injustæ essent, ac legi divinæ contrariæ
 tunc non modò in conscientia non obligarent, sed quidem illas
 observare ullo modo liceret, ut per se manifestum est.

Cum igitur ex dictis constet legem humanam in foro conscientia obligare, quæritur 1. quasnam personas obliget? Resp. cum S. Doctore q. 93. art. 3. legem humanam obligare
 omnes, qui subduntur potestati, à qua lex illa emanat, juxta illud Apostoli Rom. 13. *Omnis anima potestati
 sublimioribus subdita sit*: ex quibus verbis refellitur error Begardorum
 & Beguinarum, qui asseriebant eos, qui perfectionem justitiæ consecuti
 essent, humanæ obedientia non esse subjectos, nec ad observationem
 ullius legis Ecclesiasticæ aut civilis obligari: quorum error damnatus
 est in Concilio Viennensi, ut refertur in Clementina *Adversus
 haereticos*, & in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 20.

Neque hæreticis illis favet illud 1. ad Tim. 1. *Lex non est posita*:
 sensus enim verborum illorum est, quod non est posita: sensus enim
 verborum illorum est, quod non est posita: sensus enim verborum illorum
 est, quod non est posita: sensus enim verborum illorum est, quod non
 est posita: sensus enim verborum illorum est, quod non est posita:
 observat S. Thom. a. 5. ad 1. justos non esse subditi legi quoad vim
 coactivam, cum spontè illi subdantur, quoad vim directivam illi
 absolute subditi sint.

Quæritur 2. an Clerici legibus civilibus teneantur. Respondet
 teneri, dummodo Ecclesiasticis canonibus, & officio Clericali non
 repugnent, ut fuse docet Bellarmus lib. 2. de Clero cap. 28. probatque
 præsertim ex eo quod Clerici præterquam quod Clerici sunt, sunt
 etiam cives & patres quædam communitatis ac reipublicæ, proindeque
 leges civilibus legibus subditi debent: unde etiam (ut ibidem observat)
 in publicis precibus Clerici pro regibus orantur.

dicunt se orare (*Pro rege nostro &c.*) quibus verbis se illius subditos esse profitentur.

Quæritur 3. utrum pueri ante usum rationis legibus teneantur. Communis & certa Theologorum sententia est, non teneri, ut docent Palud. Sot. Azor, & alii apud Laym. tit. 4. de legib. cap. 10. eademque est ratio de perpetuamentibus, ut ibidem dicitur. lex enim est præceptum rationale, cujus proinde capaces non sunt qui ratione carent.

Quæritur 4. utrum Legislatores propria lege teneantur. Respondet S. Thomas Sup. 2. 5. ad 3. legislatorem non obligari lege sua quoad vim coactivam; cum nullus proprie à se ipso cogatur, lex autem non habeat vim coactivam nisi ex potestate Legislatoris. & eo sensu princeps in iure civili dicitur solutus à lege, eò quòd nullus in ipsum possit condemnationis sententiam ferre si contra legem agat & obligari tamen lege à se lata quoad vim directivam; unde reprehenduntur à Christo Domino *S. Matth. 23. illi, qui dicunt, & non faciunt. Affligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominis: digito autem suo nolunt ea movere.* Quod tamen intelligi debet (ut rectè observat Gamach. ad q. 96. cap. 5.) de legibus illis, quæ nihil continent Legislatoris seu principis dignitati contrarium aut repugnans: alioqui enim, si versetur lex in tali materia quæ sit contra dignitatem principis, certum est illum eiusmodi lege nullatenus obligari: e. g. si feratur lex, ne quis palatium ingrediatur cum ense; manifestum est hanc legem non obstringere principem, cujus proprium est *gladium portare* ut dicit Apostolus *Rom. 13.* quod similiter etiam dici debet, si lege aliqua prohibeatur, ne quis audeat venari cervos in sylva; nequis aurum vel sericum in vestibus habeat &c. ut per se patet.

Quæritur 5. quando nam lex obligare incipiat. Respondet cum distinctione: vel enim quæstio est de obligatione generali, quam secum lex humana semper invehit, eo ipso quo lex est, ut ex ante dictis constat; vel de obligatione particulari, qua subditus quisque ad illius legis

Q. 4

obser-

obseruationem tenetur, ita ut, si contra illam faciat, peccet: si primum, dicendum est legem obligare incipere cum sufficienter & debite promulgata est: tunc autem sufficienter ac debite promulgata cęsetur secundum probabiliorum Theologorum sententiam; cū in ipsius principis curia promulgata est, ut docent Sylu. Sor. Nau. Azor. Suar. & alii apud Laym. tract. 4. de leg. cap. 1. quod tamen intelligendum est saluis Regnorum ac provinciarum consuetudinibus seu iuribus aut priuilegiis specialibus, quę interdum requirunt non in uno solum sed in multis & variis locis legum promulgationem fieri ut recte monet Sotus. lib. 1. de iust. & iur. q. 1. art. 4.

Si verò secundum; id est si quęstio sit de obligatione cuiusque particularis ad legem seruandum; dicendum est ad hoc requiri, ut lex ad illius notitiam venerit, aut venire potuerit; alioqui, quamdiu talem legem latam esse inuincibiliter ignorauerit, ad illam seruandam minime tenebitur, neque eam transgrediendo peccabit, ut docent Nau. Sor. Vasq. & plures alii apud Laym. supra; quod etiam declaratur in sext. cap. 1. de concess. p. b. ubi dicitur, quod *lex seu constitutio & mandatū nullo astringunt, nisi postquam ad notitiam peruenierint eorumdem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minimè debuissent.*

Quæritur 6. an præter ipsius legis promulgationem, necessaria sit eiusdem acceptatio à subditis facta, ad hanc obligandi vim habeat. Duę sunt super hac quęstione Theologorum sententię: quidam enim, ut Maior, Nau. & alii apud Laym. supra, cap. 3. affirmatiuam partem amplectuntur, asseruntque ad hoc, ut lex vim & robur suum habeat, requiri ut à maiori parte communitatis acceptetur, vel saltem ut non improbetur, vel repudietur. Alii è contrā negant legem à populi acceptatione pendere, sed vim & robur suum accipere à legitima autoritate Legislatois. Ita Ioan. Medina; Valent. Sua. & alii apud Laym. supra; quorum sententię probabilior videtur esse, licet in praxi tenenda: & quamuis priori sententię tanquam probabiliori vellent quis adhærere, fateri nihilominus debere peccare.

peccare subditos legem Principis iustam acceptare nolentes, eumque ausu temerario improbant & abiicientes, quanto præsertim nulla ratione legitima ad id inducuntur: cum lex diuina obedientiam subdito rum erga Principes apertè præseribat.

SECTIO IV.

Vndenam dignosci possit, utrum lex humana sub mortali culpa obliget.

TRIA sunt præcipua capita ex quibus communiter Doctores inferunt, legem aliquam humanam sub mortali culpa obligare.

Primum petitur (ut docet Nau. cap. 2. Manua. nu. 50) ex ipsius legis verbis, quibus plerumque obligatio sub graui peccato disertè exprimitur; ut cum aliquid præcipitur vel prohibetur *sub interminatione diuini iudicii, vel maledictionis aeternæ, aut sub indignatione omnipotentis Dei,* aliæ simili formula. Observat tamen idem Nau. supra, non omnia verba præceptiva (qualia sunt ista, *teneatur, obligetur;* item, *præcipimus, mandamus, prohibemus, & similia*) satis exprimere, an lex obliget sub mortali; cum interdum reperiantur adhibita in legibus illis quæ tantum sub veniali obligant; proindeque id dignoscendum esse, vel ex aliis verbis adiunctis, uel ex materia ipsius legis ut mox dicetur.

Secundum petitur (ut docet Azor.) tom. 1. lib. 5. cap. 6. qu. 5.) ex grauitate pœnæ, quam lex comminatur, & transgressoribus infligit; cuiusmodi est in legibus Ecclesiasticis excommunicatio maior, degradatio, &c. In legibus item ciuilibus pœna capitis, aut perpetui carceris, vel publicationis bonorum &c. Hæ siquidem pœnæ, cum iuste infligi non possint nisi ob grave aliquod delictum; hinc sequitur, quotiescunque lex humana (quam iustam esse supponimus) eiusmodi pœnas comminatur, & transgressoribus infligit, transgressionem illius esse peccatum mortale.

Tex-

Tertium desumitur (ut tradit idem Azor. supra) ex qualitate materiae circa quam lex versatur; si enim materia legis gravis sit, censetur obligare sub peccato mortali; si levis, sub veniali. Materia autem illa censetur esse gravis, non modò quæ per se & absolutè spectata semper, & in omni eventu talis est; sed etiam illa, quæ, licet secundùm se præcisè considerata levis sit ratione tamen circumstantiarum temporis, loci &c. iudicio viri prudentis gravis esse censetur; quia scilicet in talibus circumstantiis plurimùm conducit ad commune bonum; e.g. urgentissima & penuria publica, legis illius materia gravis esse censeretur, quæ veritum foret, ne quis triticum in alienas provincias exportaret.

Cùm igitur de his tribus conveniat inter Doctores, controversum est inter illos, utrum sola legislatoris intentio sufficiat ad hoc, ut lex ab eo lata sub mortali obliget, quamvis ejus materia levis sit. Omissis variis Theologorum sententiis probabilissimè loqui videntur illi, qui docent legem in materia levi non posse obligare ad mortale peccatum, quantumvis legislator hoc intendat, intentionemque suam verbis disertis exprimat. Ita Domin. Sor lib. 1. de iustitia quæst. 6. art. 4. Alph. à Castro lib. 1. de lege pœnali c. 5. Bellarm. lib. 3. de membris Ecclesie ca. 1. & plures alii. Quorum præcipua ratio est, quòd lex iniusta nullam inducat obligationem ex ea parte qua iniusta est, unde S. Aug. Lib. 1. de lib. arb. c. 5. *Lex illa (inquit) iniusta non fuerit, lex non fit*: atqui lex illa, in qua licet materia levis esset, legislator intenderet obligare ad peccatum mortale, proindeque ad pœnam æternam, ex illa parte non esset iusta; sicut lex illa iusta non censeretur quæ pœnam mortis temporalis ob leve aliquod delictum decerneret; ergo ad peccatum mortale non obligaret, quantumvis legislator obligare intenderet.

Quæres an sicut lex in materia levi sub peccato mortali non obligat, licet legislator obligare intendat; sic è contra in materia gravi obliget sub mortali, quamvis legislator intendat solum obligare sub veniali. Nav. c. 23. n. 49. Joan.

Medina

Medina cod. de ieiunio q. 7. & quidam alii existimant obligare tunc solummodo sub veniali: quorum sententia, quamvis probabilis sit, probabilior tamen & magis in praxi tuta est contraria, quæ asserit legem in materia gravi obligare sub mortali peccato, quantumvis legislator intendat solum obligare sub veniali. Ita Driedo de libert. Christiana c. 3. ad 5. Franc. à Victoria relect. de potest. civil. n. 19. Barth. Med. ad q. 96. art. 4. & Bellarm. supra: ubi rectè observat in resp. ad 7. argumentum, ex intentione quidè legislatoris pendere, an velit re ipsa imperare, & veram legem condere; an verò solum ostendere quid agendum sit sine alio imperio: sed si velit seriò imperare, & veram legem condere, non esse in eius potestate impedire, quin lex obliget ad mortale, vel veniale pro rei magnitudine.

Superfunt adhuc duæ circa præsentem materiam difficultates. Prima est, an lex humana sub peccato mortali obligans, obliget etiam cum periculo vitæ. Quidam Theologi absolutè negant: alii longè probabilius distinctione utendum esse existimant. Vel enim lex humana talis est, ut illius observatio bono communi tuendo sit necessaria, ita ut ex illius transgressione grave aliquod detrimentum in totam communitatem deriveretur: e.g. legem fert Episcopus tempore pestis grassantis, ne sacerdotes ex locis peste infectis discedant, in quibus pastoribus defunctis nulli alii aderunt, qui pereuntibus Sacramenta ministrent. Item Imperator in bello lege lata prohibet, ne milites in excubiis stationes suas deserant, ne scilicet ex desertione stationis strages & profligatio totius exercitus sequatur: in illis enim casibus sacerdotes ac milites etiam cum periculo vitæ obedire tenentur; cum bonum privatum secundum rectam rationem bono communi postponi debeat.

Vel talis est illa lex, ut illius observatio solù particulare bonum respiciat, ut ieiunium, auditio Missæ, &c. tunc enim, quamvis lex illa sub mortali obliget, non tamen obligat cum vitæ, aut etiam sanitatis amittendæ, vel gravis alicuius damni aut incommodi subeundi periculo: cum nulla tunc suppetat ratio, cur legislator cum tãto damno,

vel

vel periculo ad legum suarum observationem obliget. Ita Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. Valent. disp. 7. de lege humana, Vasq. Suar. & alii apud Laym. cap. 14. de legib. qui tamen id limitat, dummodo nullus adsit legis vel legislatoris contemptus, nullum item ex violatione legis imminet grave scandalum: unde S. August. dixit Lib. de bono conjug. c. 16 *Satius esse fame mori, quam idolothytis vesci, cum scandalo scilicet, vel religionis contemptu.*

Secunda difficultas est, an sint aliqua leges purè penales; id est, quæ ad solam pœnam obligent, & ex quarum transgressione nullus peccati reatus incurrat. Quidam Theologi affirmant; alii tamen probabilius negant, quorum plures citat & sequitur Bellarm. Lib. 3. de memb. Eccles. c. 11. dicitque implicare contradictionem, legislatorem obligare ad pœnam & non culpam; cum culpa & pœna sint correlativa, nec illa lex justa videatur, quæ pœnam adversus infontes decerneret: unde asserit regulas illas quorundam religiosorum, quæ ad solam pœnam obligant, non per modum legis obligare, sed per modum cujusdam conventionis & pacti: & S. Doctor 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2. rectè observat. *Non omnia, quæ in lege humana continentur, tradi per modum præcepti; sed quædam proponi per modum ordinationis cujusdam obligantis ad solam pœnam: quod in quibusdam legibus civilibus locum habere censet Novar. cap. 23. nu. 55. quando scilicet neque ex legislatoris declaratione, neque ex qualitate pœnæ, neque ex detrimento publici gravitate dignosci clarè potest, an lex aliqua civilis pœnalis obliget sub culpa: tunc enim (ut ibidem docet) quis poterit id in favorabiliorem partem interpretari, ac sibi persuadere hanc non tam legem esse quam ordinationem quamdam, quæ proinde ad nullam culpam obliget, sed pœnam tantum veluti conditionem quandam proponat, ut diligentius & fidelius observetur.*

SEC.

SECTIO V.

In quibus personis resideat legum ferendarum potestas.

CVM leges humanæ duplicis sint generis, Ecclesiasticæ scilicet, & civiles; duplex etiam est legislatrix potestas, Ecclesiastica nimirum, & civilis. De utraque breviter hic agendum est.

Ac in primis observandum est, primam, & præcipuam conditionem in legislatore sive Ecclesiastico, sive laico requisitam, esse legitimam in foro exteriori jurisdictionem; id est, legitimam auctoritatem, ac potestatem publicam ad regimen, & gubernationem communitatis alicujus. Hæc autem jurisdictio duplex est; alia ordinaria, quam quis ratione proprii muneris, & officii obtinet; alia delegata; quam non ex munere, vel officio, sed ex commissione & facultate sibi concessa exercet.

Rursum alia est jurisdictio contentiosa, alia voluntaria: ad illam pertinet leges condere, prohibere, punire, causas seu lites tum civiles tum criminales dirimere, &c. quæ obrem proprium tribunal postulat, quod contentiosum dicitur à partium contentione. Voluntaria autem jurisdictio versatur circa alios publicæ potestatis actus, quales sunt legitimare, dispensare, conferre beneficia, &c. Differunt verò inter se, quòd illa etiam in invitos exerceri possit; hæc non nisi in volentes, unde etiam nomen accepit: deinde quòd jurisdictio contentiosa extra proprium territorium non extendatur; ut enim dicitur cap. 2. de consti. in §. *Extra territorium ius dicenti, impunè non paretur*: ex quo fit, ut nec synodales constitutiones, nec aliæ leges alicujus diœcesis particulares extra illius territorium obligent; nec diœcesani, quando illinc absunt, ad earum observationem, v. g. ad celebrationem festorum illius diœcesis particularium, teneantur: sicut è contrà peregrini & advenæ dum in illa diœcesi commorantur, vel per illam iter faciunt,

ciunt, leges illius & consuetudines particulares servare tenentur. Voluntaria autem iurisdictio extra proprium territorium exerceri valide, & plerumque licite possit, quando scilicet nulla inde oritur cuiusquam offensio nullumve scandalum. Ita Suar. Nav. Sylv. & alii plures apud Laym. tract. 4. de legibus, cap. 5. & 11.

Observandum 2. hanc utramque potestatem legislativam inter se differre ratione originis: Ecclesiastica enim potestas immediate à Deo instituta est; civilis verò, quamvis à Deo sit, *Non enim est potestas nisi à Deo*, inquit Apostolus, Rom. 13. non tamen immediate ex institutione illius, sed ex ipsorum hominum institutione: ratio enim naturalis ipsis hominibus divinitus indita, sicut homines ad vitam societatem adigit, sic etiam dicat societatem humanam diu consistere non posse, nisi publica aliqua potestate gubernetur, juxta illud Sapientis: *Prov. 11. Vbi non est gubernator, populus corrumpet.* Vnde providentiæ divinæ suavi moderamine factum est, ut homines ubique terrarum aliquam regiminis formam inter se constituerent; & alii quidem communi consilio se ipsos regerent; alii verò penes aliquos optimates, vel penes unum principem seu regem aut imperatorem auctoritatem omnem ac iurisditionem transferrent; unde rerum publicarum regnorumq; ac imperiorum variæ formæ exortæ sunt, factumq; est ut ad regimen communitatis, alii Democratiam alii Aristocratiam alii verò Monarchiam amplecterentur; quæ quidem monarchia (ut id obiter dicamus) hoc præceteris habet, quod proxime ad totius mundi sub uno summo moderatore Deo regimen accedat, primamque illam & æternam divini imperii formam perfectius imitetur.

Differt præterea hæc utraque potestas ratione objecti: potestas enim Ecclesiastica per se ac directe versatur circa res spirituales, ad cultum divinum & salutem animarum pertinentes; potestas verò civilis per se ac directe temporalem solum commoditatem ac pacem spectat, ut colligitur ex 1. ad Timoth. 2. ubi Apostolus orare jubet, *Pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus.* His

His prenotatis videndum est, in quibus personis resideat potestas ferendarum legum præsertim Ecclesiasticarum, quæ nostrum institutum magis spectant: quod in sequent, paraphis investigabimus.

§. I.

De Romano Pontifice.

DICENDVM I. inter legislatores Ecclesiasticos Romanum Pontificem tanquam S. Petri successorem, ipsiusque Christi Domini vicariū, ac summum totius Ecclesiæ pastorem, primum ac præcipuum locum tenere.

Probatur 1. ex scriptura: S. Matth. 16 ubi Christus Dominus S. Petrum alloquens, *Tu es Petrus, inquit, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & S. Ioan. 21. eidem dicit: Pæce agnos meos: pæce oves meas: quæ verba expendens S. Bern. Lib. 2. de confid. Non modo, inquit, ovium. sed & pastorum tu unus omnium pastor: unde id probem, quæru? ex verbo Domini: cui enim non dico? piscoporum. sed Apostolorum sic absolute & indiscretè tota commissa sunt oves. si me amas, Petre? pæce oves meas, quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certè regni? oves meas, inquit, Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes, nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Probatur 2. ex Concil. Calced. act. 1. 2. & 3. ubi passim S. Leo Papa vocatur *Universalis Ecclesiæ Pontifex: & in Synodo 7. generali, act. 2. in Epistol. Adriani ibidem lecta & recepta dicitur, Romanam sedem per totum terrarum orbem primatum obtinere, omniumq; Ecclesiarum Dei caput existere.*

Probatur 3. ex S. Ambros. in c. 3. 1. ad Timoth. *ùm totus, inquit, mundus Dei sit; amen domus eius Ecclesiæ dicitur, cuius hodie rector est Damasus: & S. Hieronym. Epistol. ad eumdem Damasum, Ego, inquit, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudinituæ, id est, cathedræ Petri consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, &c. quicumque tecum non colligit, dispergit; & S. Prospero carmine de in*

de ingratis, *Sedes Roma Petri, qua pastoralis honoris facta caput mundo, &c.*

Dicendam 2. in materia fidei aliisque rebus, quæ ad mores, & disciplinam Ecclesiasticam pertinent, Romanum Pontificem esse summum legislatorem & iudicem.

Hæc veritas, quæ indubitanter ab omnibus tenenda est, evidentius ac melius demonstrari non potest, quam ex continua praxi totius Ecclesiæ; in qua id constanter & religiose servatum est, ut, quoties oriretur controversia aliqua, vel difficultas in materia fidei aut in rebus ad mores & disciplinam Ecclesiasticam spectantibus, toties Apostolica sedes consulere: cuius rei fidem faciunt innumera prope responsa, statuta, decreta Romanorum Pontificum, ex quibus totum ferme iuris Canonici corpus conflatum est. Vnde summa cum ratione Innocentius Papa in Epist. ad Patres Concilii Carthag. quæ inter Augustinianas numeratur 41. dicit, *Non humanâ sed divinâ decretum esse sententiâ; ut quidquid de disjunctis remotisque provincijs ageretur, non prius (alii Episcopi & Ecclesiæ presules) ducerent esse finiendum, quam ad Romanâ sedis notitiam perveniret, cuius auctoritate, iuxta quâ fuerit pronuntiatis, firmaretur: & in altera Ep. 93. ad Patres Concilii Milevitani, Diligenter, inquit, & congruè Apostolico consultis honori, honori inquam illius, quem, præter illa quæ sunt ex vi insecuti, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxiijs rebus, quæ in tenenda sententiâ, antiqua scilicet regula formam secuti, quanto semper ab orbe mecum vestris esse servatam, &c. scientes quæ per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventilatur. Quod etiam optime explicavit S. Bernard. Epist. 90. ad Innocentium II. ubi sic Pontificem alloquitur; Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæquæ, & scandala emergentia in regno Dei, & præsertim quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimum resarcire damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum: hæc quippe est huius prerogativa sedis, cui enim alteri aliquando dictum est; ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, &c. Quare merito unusquisque fidelium*

S. Petri

§. Petri Chryfologi monitum in Epist. ad Eutichem auctulare illud que animo inferibere deberet: *Hortamur te, inquit, frater, ut his, qua à beatissimo Papa Romana civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit, præstat quarentibus fidei veritatem.*

§.

De Conciliis.

CONCILIA quæ in Ecclesia celebrari solent, alia sunt Oecumenica seu generalia, quæ summæ Pontificis auctoritate convocatis ex orbe universo Episcopis congregata sunt; Alia non Oecumenica seu particularia, quæ inferiorum Prælatorum auctoritate, ex aliqua provincia particulari, vel natione convocantur. De utrisque breviter hic agendum est; atque in primis quod spectat ad Concilia generalia,

Dicendum 1. Concilia generalia plenissimam habere potestatem condendi leges pro totius Ecclesiæ regimine; ad earumque observationem omnes & quoscunque fideles obligandi. Hæc veritas in confesso est apud omnes: cum generalia Concilia legitimè congregata universalem Ecclesiam representent; Christusque Dominus expressis verbis edixerit *S. Matth. 18. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Sed difficultas est, quænam sint illa Concilia generalia, quæ pro legitimis haberi debeant. Pro cuius resolutione.

Dicendum 2. Concilia generalia legitima illa esse, quæ Romani Pontificis auctoritate congregantur, & in quibus vel per se vel per legatos præsidet. Prior huius assertionis pars probatur ex antiquissimo canone, in quo statuitur, *Præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari non posse;* quem Canonem Apostolicum esse testatur *S. Marcellus Papa in Epist. ad Episcopos Antiochenæ provinciæ;* illustratque renovavit *Concil. Nicæn. 1. ut habetur in Epist. Synodi Alexandrinæ ad Fœlicem & in Epist. Iulii 1. ad Episcopos*

pos orientales. Probatum item ex Conc. Calced. act. 1. ubi Dioscorus Patriarcha Alexandrinus prohibetur sedere inter Episcopos, eò quòd Synodum generalem convocare ausus fuisset sine autoritate Apostolicæ Sedis: *quod* (ut ibi dicitur) *nunquam licuit, nunquam factum est*. Et ex Concil. 7. generali act. 6. ubi reprobatum Concilium quoddam Constantin. eò quòd sine consensu Romani Pontificis ab imperatore convocatum fuisset.

Secunda pars assertionis; nimirum Concilia illa generalia solummodo pro legitimis habenda esse, in quibus summus Pontifex per se, vel per legatos præsidet, melius probari non potest, quàm inductione breviter facta per antiquissima Concilia generalia, (de recentioribus enim Conciliis id planum & evidens est) in quibus Romanus Pontifex per se, vel legatos suos præsedisse refertur. In Concilio enim Apostolico, de quo mentio fit Act. 15. præsedit S. Petrus, ut docet & probat S. Hier. Epist. ad S. Aug. quæ est inter Augustinianas 11. In Concilio Nicæno 1. anno 327. Hosius Episcopus nomine S. Sylvestri Romani Pontificis præfuit, ut patet ex illius subscriptione quæ omnium prælatorum etiam Patriarcharum qui Synodo interfuerunt subscriptiones præcedit, ideoque à S. Athanas. Epist. ad solit. vir. agentes princeps illius Concilii vocatur. In Concilio Ephesino anno 431. præsedit S. Cyrillus Alexand. nomine Cælestini Romani Pontificis, ut testatur Evagrius lib. 1. hist. c. 4. & 5. Prosper in Chronico, & aperte constat ex Epist. ipsius Cælestini ad præfatum S. Cyrillum in qua vices suas illi demandat. In Concilio etiam Chalcedonensi anno 451. Paschasius & Lucensius Episcopi præfuerunt nomine S. Leonis Papæ, ut constat ex actis ipsius Synodi, præsertimque ex Epist. illius ad S. Leonem, quæ habetur act. 3. ubi idem S. Leo dicitur Episcopis ipsius Synodi tanquam membris caput præfuisse in his, qui ejus tenebant ordinem.

Dicendum 3. sicut summi Pontificis est Concilia generalia convocare ipsique præsidere, sic etiam ad Episcopos jure proprio & ordinario pertinere, ut in illis sedeant, non
solum

solum ut consiliarii, sed etiam tanquam legitimi iudices in rebus ad fidem & disciplinam Christianam spectantibus. Id aperte constat ex perpetua ipsius Ecclesiae praxi, & actis Conciliorum generalium, in quibus Episcopi sententiam tanquam iudices dixerunt, & illorum decretis subscripserunt.

Quamvis autem jure ordinario soli Episcopi in generalibus Conciliis tanquam iudices interesse possint; ex privilegio tamen & consuetudine id aliis etiam quibusdam personis Ecclesiasticis competere posse tradit Bellar. Lib. 1. de Conc. c. 11. ut Cardinalibus &c.

Quod spectat ad alia Concilia quae universalis non sunt, observandum est illa triplicis esse generis: alia siquidem sunt Nationalia, quae convocatis alicuius regni seu nationis Episcopis à Primatè vel Patriarcha indicuntur: alia provincialia, quae ab Archiepiscopo convocatis provinciae sibi subjectae Episcopis; alia denique dioecesana, quae Episcopi autoritate celebrantur.

Porrò ad hoc ut Concilia ejusmodi particularia leges in propriis territoriis obligantes eondere possint, consensus vel approbatio summi Pontificis minimè requiritur, ut docet Laymannus Tract. 4. de leg. c. 7. dummodo nihil in ijs contra universales Ecclesiae leges decernatur. Quòd autem aliqui Doctores existimant statuta ejusmodi Conciliorum particularium, si à summo Pontifice approbentur & confirmantur, totius Ecclesiae fideles obligare; id intelligendum est, si ab illo approbata sint & confirmata eo animo, ut ad ejusmodi statutorum observationem velit omnes ubique terrarum fideles obligare; (quòd ex verbis approbationis seu confirmationis dignosci potest) secus si approbatio illa, seu confirmatio ad majorem tantum & vim & stabilitatem ejusmodi statutorum a summo Pontifice concedatur, tunc enim extra proprium territorium obligare minimè censentur.

De Episcopis, aliisque Ecclesie Prælatiis.

CERTVM est in primis Episcopus ex divina institutione in Ecclesia positus fuisse ad illius regimen & gubernationem, ut manifestè constat ex his verbis Act. 20. *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei;* proindeque legum ferendarum potestatem penes illos esse respectu sibi subditorum,

Certum est etiam ex eadem institutione divina, Episcopos superiores esse presbyteris, non solum quoad Ordinis dignitatem (ut in tractatu præced. Cap. 7. dictum est) sed etiam quoad regiminis autoritatem, seu iurisdictionem. Id aperte colligitur ex Epist. 1. ad Timoth. Cap. 1. ubi Apostolus formam præscribit, sub qua Episcopus accusationem adversus presbyterum recipere debet; ex quo sequitur Episcopum esse presbyteri iudicem, ac proinde superiorem; unde in Concilio Neocæsariensi can. 13. dicitur Episcopos Apostolis, presbyteros verò discipulis Christi in Ecclesiastica Hierarchia successisse: quod etiam docet S. Aug. in Psalm. 44 & in Concil. Trid. sess. 23. can. 7. anathema profertur in eum, qui dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores.

Certum est præterea unumquemque Episcopum in propria tantummodo diœcesi, non verò in tota Ecclesia autoritatem & iurisdictionem obtinere: unde Concil. Constantino. 1. can. 3. declarat, quòd *Episcopi non invitati ultra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel disponendis Ecclesiasticis causis:* quòd etiam decretum est cap. *Nullus primas*, 9. quæst. 2.

Certum est denique quod, sicut autoritas & iurisdictione respectu subditorum Episcopo competit; sic etiam ipsi Episcopo à subditis honor & obedientia deferri debet, juxta illud Apostoli Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis, &c.* Vnde S. Ignatius Martyr, in Epist. ad Tral-
lianos,

lianor, Episcopo, inquit, subditi estote sicut Domino: & in Concilio Calcedon. act. 15 can. 8. statutum, ut Clerici basilicæ, monasteriis, & aliis Ecclesiis ascripti, secundum sanctorum Patrum traditiones sub Episcopi potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo desiliant; qui verò audent evertere huiusmodi formam, & quocumque modo nec proprio subiiciuntur Episcopo, canonum correctionibus subiacent.

Quod spectat ad alios Ecclesiæ Prælatos, breviter dicimus, præter Romanum Pontificem aliosque Episcopos, quasdam alias dignitates in Ecclesia reperiri ad maiorem ipsius tum utilitatem tum decorem; ac in primis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales summo Pontifici assistere, ipsumque in regenda Ecclesia univèrsa consilio & opera iuvare, de quibus plura videri possunt apud Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 16. Patriarchas item ac Primate Archiepiscopis seu Metropolitanis supereminere, & istos aliis Episcopis, ita ut sicut habetur cap. Si inter, 6. quæst. 4.) ab Episcoporum iudicio ad Archiepiscopos & Metropolitanos appellari possit; & ab istis ad Primate & Patriarchas, ac demum ad Romanum Pontificem, cuius iudicio controversiam quamcumque ad res aut personas Ecclesiasticas spectantem dirimi ac definiri oportet.

Vbi tamen observandum est adversus Episcopos propter eminentiam dignitatis in causis criminalibus gravioribus, nec sententiam ferri, nec etiam iudicè inquiri aut procedi posse absque sedis Apostolicæ autoritate, ut in pluribus canonibus sancitum habetur ac novissimè in Concilio Trid. sess. 24. cap. 5.

SECTIO VI.

Quibus modis cessare possit obligatio servandæ legis humanæ.

DICENDVM 1. legis humanæ servandæ obligationem cessare posse per abrogationem illius; ac proinde legem ipsam humanam ob causas aliquas iustas & rationabiles

nabiles posse aliquando abrogari: *Nec enim* (ut loquitur Innocentius in Concilio Lateran. generali, & refertur cap. 8. de consang. & affinit.) *Debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana; praesertim cum urgens necessitas, vel eiusdem utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quae in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in nouo.*

Dicendum 2. legem humanam abrogari posse tum illius disuetudine, vel contraria consuetudine (ut seorsum dicitur) tum etiam voluntate principis qui legem tulit, aut successoris, vel superioris illius: certum est enim principem, qui legem tulit, posse illam reuocare & abrogare: eadem enim potestas qua ad legem ferendam requiritur, sufficit ad illam abrogandam; cum iuxta regulam iuris, *Res omnis per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur potest.*

Certum est etiam id ipsum ab eius successore posse fieri, cum tanta sit potestas successoris, quanta fuit illius qui legem tulit: sicut ergo potest hic legem à se latam reuocare, sic & ille poterit: & cum par in parem non habeat imperium, non potest huic ille valide praecipere, ne legem à se latam reuocet. Certum est denique superiorem inferioris legem posse abrogare: sicut enim inferior subditur superiori; sic eius potestas superioris potestati subdita est; unde per quamdam eminentiam potest quid quid inferior; qui sicut legem à se latam reuocare potest sic etiam poterit eius superior.

Dicendum 3. cessare quoque obligationem seruandae legis, quando illius causa & ratio cessat. Ita S. Doctores 2. q. 103. a. 4. quia (ut habetur c. *Cum cessante*, de appellationibus) *cessante causa cessat effectus: & sicut lex ab initio non subsisteret, si absque causa & ratione lata esset; ita desinente causa & ratione ob quam lata est, ipsa etiam esse, ac proinde obligare desinit: quod tamen intelligi debet in praxi, quando certum est & evidens causam eiusmodi legis cessare; alias, si aliqua dubitandi ratio subsit, tutius est adire Superiorem, nihilque inconsulto illo contra legis tenorem attentare.*

Quod

Quòd si lex plures in se partes contineat quæ ab iniuicem disiungi possint, tunc (ut rectè monet Suar. Lib 6.) de leg. c. 9. quamuis cesset causa & ratio alicuius partis, potest tamen alterius ratio & causa perseverare; sicque lex censetur secundum illam partem semper obligare, ut enim habetur in regulis iuris: *utile per inutile nõ debet vitari.*

Dicendum 4. legis seruandæ obligationem cessare præterea per legitimam superioris dispensationem. Ita S. Thomas variis in locis sed præsertim 2. 2. q. 88. art. 10. ad. 2. ubi, quid sit dispensare, explicat his verbis: *Cum dispensatur in lege humana, non fit ut legi humana non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatũ diuinũ, sed fit ut hoc, quod erat lex, non sit lex in eo casu, respectu scilicet illiº cũ quo dispensatur: sicut. n. ex causa rationabili potest legislator aut eius successor, vel superior legereuocare & abrogare; (ut supra dictum est) sicque omnes sudditos ab obseruatione illius eximere, poterit à fortiori ex rationabili causa aliquem particularem sibi subditum ab illius seruandæ obligatione eximere, & sic cũ illo super ea lege dispensare.*

Quæres, an dispensatio concessa sine causa iuxta & rationabili valida sit & licita. Resp. validam quidem esse, ut docent Innocentius, Nav. & plures alii quos citat & sequitur Sanch; Lib. 8. de dispensat. disp. 17. nu. 25. sed tamen illicitam respectu tum superioris dispensantis, tum subditi dispensationem illam postulantis, & acceptantis, ut docet S. Thom. 1. 2. quæst. 97. a. 4. unde Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. & sess. 25. cap. 18. dicit dispensationes, non nisi urgenti & iusta ratione causæ cognita, & summa cum maturitate concedendas esse.

Quale autem peccatum sit absq; iusta causa dispensare non consentiunt inter se Doctores: quidam enim (ut Navarr. prælud. 9. n. 14. & Sotus lib. 1. de iustitia q. 7 art. 3.) arbitrantur superiorem sine iusta causa in propria lege dispensantem peccare tantum venialiter: alii (ut Suar. lib. 6. de legib. cap. 18. & Valent. tom. 2. disp. 7. quæst. 5. pun. 6.) asserunt peccare mortaliter: probabilius tamen loqui videntur illi, qui id ex qualitate legis ac dispensationis, dijudi-

dijudicandum esse asserunt: si enim ex illa dispensatione scandalum aliquod, aut damnum temporale aut spirituale oriatur, tunc peccatum erit mortale; si verò nullum e-
jusmodi scandalum aut damnum subsit, erit tantum veniale.

Quæres 2. an inferior aliquando dispensare possit in lege superioris. Resp. id neque licite neque valide fieri posse, nisi quando gravis aliqua urget necessitas, nec nisi valde difficilis ad superiorem pateat recursus; excipitur tamen casus in quo dispensandi facultas inferiori generali aliqua lege, vel speciali privilegio concessa sit, vel aliqua legitime præscripta consuetudine comparata: quæ quidem fusius explicata videri possunt apud Laym. tract. 4. de leg. cap. 2. 2.

Quæres 3. an Prælati, & superiores possint secum dispensare in iisdem casibus, in quibus cum aliis dispensare possent. Resp. posse non modo valide sed etiam licite, non committendo alteri, v. g. confessario, aut vicario, facultatem ut secum dispensare possit in iis, in quibus possent cum subditis dispensare; tum etiam directe secum dispensando ob easdem causas, ab quas iuste & rationabiliter cum subditis dispensare possent, ut fusius explicat & probat Sanch. Lib. 8. de dispens. disp. 3. nu. 3. & sequent.

Dicendum. legis servandæ obligationem in aliquo casu particulari cessare posse per ipsius legis interpretationem seu emendationem, quæ fit per virtutem illam, quæ Theologi episcopiam seu æquitatem vocant, cuius proprium est (ut docet S. Thom. 2. 2. q. 120 a. 1.) legem humanam universim aliquid præcipientem in aliquo particulari casu, in quo cessat illius obligatio, vel interpretari vel emendare: cum enim (ut idem declarat) actus humani, de quibus lex fertur, in singularibus contingentibus consistant, quæ variari possunt infinitis prope modis, quos legislator prævidere nequit, quicquid in ferenda lege communem spectet utilitatem, ad id præsertim attendit quod in pluribus accidere solet; hinc fit ut aliqui casus occurrere possunt, in quibus lex ipsa deficiat; ita ut non solum

utilis. Ita cap. *Erit autem lex*, dist. 4. & per se patet: ut enim vim legis habeat precipuas & magis necessarias legis qualitates habere debet; lex autē (ut suprā dictum est) debet esse rationalis & bono communi utilis. Secunda est, ut tempore aliquo diuturno duraverit, ut infrā explicabitur. Tertia, ut consensus saltem tacitus Legislatoris seu Principis interveniat: tunc autem tacite consentire censetur si sciens talem populi morem, illum, cum posset, impedire noluerit. Ita S. Doctor suprā in resp. ad 3. Quarta denique, ut consuetudo illa servetur à populo, aut majore illius parte quasi ex obligatione, seu ex animo introducendæ obligationis, ut observat Suar. lib. 7. de leg. c. 14. unde consuetudo illa, quæ vim legis obtinere censetur, definitur ab Isidoro c. 3. *Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.*

Ex quo intelligitur, quare plurimæ consuetudines rationabiles ac piæ, & jam à diuturno tempore usitatæ superioribus non modò non contradicentibus, sed etiam approbantibus, vim tamen legis non obtineant; ut ad campā pulsum sanctissimam Virginem salutare; in Ecclesiæ ingressu aqua lustrali frontem aspergere, &c. quia scilicet hæc & aliæ similes consuetudines ex liberali tantummodo affectu & devotione, non verò ex ulla inducendæ obligationis voluntate inchoatæ sunt, ac continuantur.

Cæterum rectè monet Suar. lib. 7. de leg. cap. 5. in dubio, an obligatio per consuetudinem aliquam inducenda sit, cæteris paribus inclinandum potiùs esse in eam partem, quòd consuetudo sit devotionis quàm quòd sit obligationis: quia juxta regulam communem Doctorum, in dubio nemo præsumitur velle obligari; neque expedit multiplicari præcepta, ubi moraliter certa non sunt.

Dicendum 3. consuetudinem non modò constituendæ legis, sed etiam abrogandæ vim habere, ut docet S. Thom. suprā. a. 3. quòd probari potest ex cap. ultimo de consuetudine, in quo Gregorius IX. declarat posse consuetudinem aliquam *Iuri positivo* (humano scilicet) *præiudicium generaliter, si rationalis fuerit & legitime præscripta*; ex quibus verbis colligitur.

colligitur duore quiri, ut consuetudo legem aliquam abroget. primò ut sit rationalis, quod per se patet; secundo ut sit legitime præscripta; id est ut tanto tempore duraverit, quanto ad legitimam præscriptionem adversus ipsam legem opus est.

Quæres, quanto tempore opus sit ad præscriptionem illam complendam adversus legem. Communior & magis recepta Theologorum responsio est, o; dinariè requiri decennium ad præscribendum contra legem civilem; quadraginta vero annos adversus Ecclesiasticam. Ita Sylv. Azor, & alii apud Laym. tract. 4. de leg. c. 24. Ratio est, quia ad præscribendum adversus legem requiritur tempus longum; tale autem in jure civili censetur esse decennium, ut constat ex L. *Super longi C.* de præscriptione longi temporis; in jure autem Ecclesiastico ordinarium præscriptionis tempus censetur esse quadraginta annorum, ut constat ex cap. *De quarta*, & cap. *Ad aures*, de præscrip. Tutissimum autem in praxi est nihil temerè super hac re definire, sed Doctorum & Sapientum virorum consilium perquirere, aut etiam Superiorum, seu Legislatores mentem ac voluntatem explorare.

SECTIO VIII.

De lege divina positiva.

NOMINE legis divinæ positivæ intelligimus eam, quæ Deo auctore condita, & litteris consignata, hominibus ad observandum imposita est. Ea autem duplex est; vetus, quæ per Moysen Dei nomine lata & promulgata est; & nova, quæ à Christo Domino condita in Evangeliiis aliisque novi testamenti libris consignata est: & circa utramque.

Dicendum 1. legem veterem fuisse in se bonam & sanctam, licet lex nova longè sit illa melior, & perfectior.

Quod fuerit bona & sancta, constat tum ex his Apostoli verbis Rom. 7. ubi de lege veteri loquens, *Lex, inquit, sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum*: tum

R 2

1

ex eo quod à Deo condita, & à Christo Domino approbata est, qui S. Math. 5. dicit se venisse, non ut solueret legem, sed ut adimpleret: quare olim Marcion stz, Manichæi, & alii ab Ecclesia tanquam hæretici proscripsi sunt, eò quod inter alia dogmata erronea veterem legem tanquam inutilem & malam reprobarent; contra quos agit sanctus Epiph. hæresi 33. 42. & 66. & S. Aug. variis in locis, & præsertim lib. 19. & 22. contra Faustum Manichæum.

Quod verò lex noua melior & perfectior sit lege veteri, constat ex variis Apostoli locis passim in Epist. ad Rom. & ad Galat. & ad Hebr. 7. ea de causa Christus Dominus vocatur *Melioris testamenti sponsor*; & fusè id docet & probat S. Thom. quæst. 106. art. 1. & 2.

Dicendum 2. veteri legi solos Iudæos obstrictos fuisse, legem verò nouam omnes omnino homines ubiuis terrarum ad sui obseruationem obligare.

Quod legi veteri Iudæi soli obstricti fuerint, patet tum ex eo, quod solis Iudæis promulgata fuit, Exod. 19. & 20. tum etiam ex eo quod multi ex gentilibus abique illius obseruatione salutem sunt consecuti, ut docet S. Dion. cap. 9. cœl Hierar.

Quod vero lex noua omnes homines ubiuis terrarum obliget, constat ex capite ultimo S. Matth. & S. Marci ubi Christus Dominus Apostolis iniungit, ut doceant omnes gentes, & Euangelium prædicent omni creaturæ; edicite, que condemnandos esse, qui credere ac legem illam recipere noluerint.

Dicendum 3. legem veterem defuisse; legem vero nouam vsque ad consummationem sæculi esse perseveranturam.

Quod lex vetus defierit constat ex variis Apostoli testimoniis Hebr. 7. ubi dicit translato Sacerdotio legis transiitionem factam esse: Ephes. 2. ubi loquens de Christo dicit, illum legem mandatorum decretis euacuasse.

Quod autem lex noua usque ad finem sæculi perseveratura sit, firma fide tenendum esse docet S. Thom. quæst. 107. art. 4. Quæst.

Quæres 1. an lex vetus tota desierit; Bellar lib. 4. de Iustifica cap. 6. existimat desisse tantum quoad ceremonialia, & iudicialia præcepta, non vero quoad moralia: Suar. verò lib. 9. de legib. cap. 11. & plures alii Theologi, quos ibidem citat, totam desisse asserunt, etiam quoad præcepta moralia, ita ut obligatio ad illa seruanda penitus cessauerit, in quantum illa lege veteri præcipiebantur; licet alioquin ad eadem illa præcepta seruanda tam lege naturæ quam lege Euangelica teneamur: quæ posterior sententia idèò videtur probabilior, quod magis consonet testimoniis suprâ citatis, quibus uniuersim lex vetus desisse dicitur.

Quæres 2. quonam tempore lex vetus cessauerit, & obligare ad sui obseruationem desierit. Respondi. iuxta communem Theologorum sententiam cessauisse, & obligare desisse in morte Christi Domini. Ita Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramen. parte 6. cap. 4. S. Bonaventura in 4. dist. 3. quæst. 3. & S. Thom. quæst. 103. artic. 3. ad 3. & art. 4. ad 1. ubi distinguit tria tempora Vnum quidem ante Christi Passionem, in quo legalia neque erant mortua neque mortifera: aliud autem post tempus Evangelij divulgati, in quo legalia sunt mortua & mortifera: tertium autem est tempus medium scilicet à Passione Christi usq; ad divulgationem Evangelij in quo legalia quidem fuerunt mortua; quia neq; vim aliquam habebant, neq; aliquis ea obseruare tenebatur: non tamen fuerunt mortifera. Quibus quidem verbis S. Doctor mentem suam aperit super gravi controversia quæ olim inter SS. Hieron. & Aug. exorta est, ut constat ex variis illorum Epistolis ultro citroq; datis, quæ habentur inter Augustinianas ab 8. ad 19. S. Hier. siquidem docebat ab instanti mortis Christi Domini veterem legem non modò mortuam, sed & mortiferam esse cepisse; neq; solùm illius seruandæ obligationem cessauisse, sed neq; seruari absq; peccato potuisse: & quoniam satis constabat Apostolos multis annis post Christi passionem legalia quadam obseruasse, dicebat id ab illis simulatè factum, quo facilius Iudæos legis suæ zelatores ad Christi fidem allicerent. Econtrà verò S. Aug. (cui communi-

R. 3 communi.

municet Theologi subscribunt) assererebat, Apostolos nulla simulatione fuisse usos? sed licite & honeste ceremonias quasdam veteris legis post Christi Domini mortem usurpasse. licet enim lex illa tunc esset mortua, nondum tamen erat mortifera; & quamvis ad sui observationem amplius non obligaret, observatores tamen suos nullius peccati reos efficiebat: quod ibidem dicit suavi Dei providentia fuisse dispositum; tum ut Iudæi legis suæ ceremoniis maxime addicti facilius ad Christi fidem converterentur: tum etiam ne lex illa vetus tanquam mala & superstitiosa reprobata per Christum fuisse videretur, & ut aliquo cum honore sepeliretur.

Quo verò præcisè tempore non solum mortua, sed & mortifera esse cœperit lex vetus, non satis exploratum habetur: illud certum est iam à multis sæculis mortiferam, & illicitam esse veteris legis observationem; cum præfati SS. Hieron. & Aug. citatis Epistolis, sed præsertim II. & 19. id multò ante tēpora sua fuisse doceant: imò verò S. Ignatius Apostol. discipulus Ep. 8. *Si quis, inquit, cum Iudæis celebrat Pascha, aut Symbola Festivitatū eorum recipit, participat eorum, qui Dominum occiderunt & Apostolos ejus.* Unde colligitur probabile esse id quod docet Suar. lib. 9. de leg. c. 18. viventibus adhuc Apostolorum principibus Mosaycæ legis observationem mortiferam esse cœpisse; cum una quidē ex parte lex Evangelicā orbi penè universo, at nominatim Iudæis omnibus diversas orbis regiones incolentibus tunc innotuisset; ex altera verò plurimum referret, hoc Christianæ religionis & fidei dogma, quo lex vetus mortifera creditur, ab iisdem tradi & confirmari.

CAPVT IV.

De Legis divinæ, seu Decalogi præceptis.

NOMINE DECALOGI significatur lex divina positiva decem præcepta complectens; quorum tria priora Deum spectant, septem verò posteri-